



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 21. Pii V. Papæ studium in tuenda Religione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

pit, ut conscriptis equitibus, ac pedibus ei, si casus ferret, præsto essent: mox vero, & Casparum Roblesium cum legione sua ad eas partes ablegavit, dato ei negotio, ut Antonius Berrius Didaci Caruajali signifer cum quinquaginta delectis Hispanis Limburgensi archi imponeretur.

Nihilominus rebus ita providendis Albæ Dux præpedire haud poterat, quin Oranius Princeps trajecta Mosæ prope Tungros Leodiensis diocesis oppidum castra metatus Trudonopolin caperet. Verum eundem Albæ Dux tam presso pede insequeretur, illumque tam arcte cingebat, ut Princeps crebra, ingentique clade consumptus viginti novem omnino vicibus castra figere, moxque ea loco movere compelleretur, atque ad tantas redigeretur angustias, ut omnino incertus hæreret, quorsum suas copias conduceret, meditabatur equidem in Gallias aufugere, suum exercitum Condæo Principi juncturus, verum illius milites re comperta in tam apertas erumpebant indignationes, ut illos militari sacramento solvere, ipseque in Germaniam secedere cogeretur.

§. XXI.

*Pii V. Papæ studium in tuenda Religionem.*

Tam

Tam prosperos Albæ Ducis successus in Frisia summus Pontifex cum tanta animi lætitia perceperat, ut hunc Belliducem in pleno Patrum Purpuratorum confessu dilaudaret, nec unquam de illo mentionem haberet, quin eum tanquam Principem non minus fortitudine, quam pietate insignem commendaret: verum hæc ipsa pietatis prærogativa meliori adhuc titulo ipsimet summo Pontifici competebat: quippe tam ardenti Religionem Catholicam in Germania, Belgio, & Gallis propagandi studio flagrabat, ut nec sollicitudini, nec pecuniis parceret, quibus cunctos tuendæ fidei studiosos juvare posset, præprimis autem tantum apud Maximilianum II. Cæsarem effecerat, ut religionis negotia minime Laicis in Germania committerentur, ac nonnulli Episcopi, pluresque Pastores, quos ex Ecclesiis, gregeque suo hæretici ejecerant, rursus revocarentur: impetravit insuper, ut Confessio Augustana ex Austria eliminaretur, nec Lutheranorum, neque aliorum hæreticorum ullus ibidem tolleraretur: præterea pari successu Religionem Catholicam in Polonia, & Prussia tuebatur, Franciæ vero Catholicis, necnon Belgis contra Calvinistas non solum monitis, ac pecuniis, sed etiam suis copiis adstitit: nec minus Reginam

Sæcul. XVI.

A. C. 1568.

Spond. ad hunc. ann.

n. 6.

Gabut in vita Pii V. l.

3. Ciacon. t. 3.

p. 997.

Sæcul. XVI. tum regnantem Caroli IX. Regis Ma-  
A.C. 1568. trem hortabatur, ut Joannæ Navarræ  
 ditiones sibi vendicaret, eo quod illa  
 adeo non a sua hæresi resipisceret, ut  
 potius suam condemnationem differe-  
 cernens Rupellas secederet, ibidemque  
 hæreticos palam defenderet: eapropter  
 Pontifex sibi saltem permitti petiit, ut  
 sua uteretur auctoritate Apostolica, aut  
 quidam alius ex Valesiorum stirpe in  
 Navarræ Regem nominaretur, vel His-  
 panix Rex ad occupandam illam regni  
 partem, quam Joanna possidebat, indu-  
 ceretur: verum Papa ultra commina-  
 tiones haud progrediebatur: porro au-  
 no priori Mense Aprili edita Constitu-  
 tionem præcepit, ut festum Sancti Tho-  
 mæ Aquinatis solemnius celebraretur,  
 ac illius dies festus haberetur, simul-  
 que a forensi strepitu, atque a servili la-  
 bore tam in urbe, quam universo Nea-  
 polis regno cessaretur.

*Constitut. 36.*  
*Mirabilis*  
*Deus ann.*  
 1567.

## §. XXII.

*Bulla in Cæna Domini jussu hujus  
 Pontificis promulgata.*

Insuper Papa præceperat, ut Bulla, quæ  
 appellatur *in Cæna Domini* alias *Pe-  
 ria* quinta ante Parasceven duntaxat  
 Romæ promulgata pariter per univer-  
 sum orbem publicaretur. Ceterum hanc  
 Constitutionem a pluribus summis Pon-  
 tifi-